

bant, quæ Episcopo mandante à Sacerdote, vel Diacono speciatim ad hoc negotium deputato Scriptis Ecclesiæ inserebantur, quæ proindè *Dypticha* dicta sunt. Sequebatur exacta, ac pluriès repetita exploratio, quasnam in antegressis catechumenatus gradibus progressionem fecissent. Tum viginti ante baptismum diebus exorcizabantur. (***) Unde Syn. Brac. II. *Can. I.* sanxit, ut sicut antiqui *Canones* jubent, ante viginti dies Baptismi, ad purgationem exorcismi catechumeni currant. (*) *Exorcismi* preces erant è sacris litteris collectæ, et compositæ ad Deum orandum, ut Satanæ in illis potestatem frangeret, tum ab ipsis spirituum erroris, et pravitatis expelleret. Durante exorcismorum tempore catechumeni variis detinebantur exercitationibus: nimirum, jejuniis, abstinentiis, et speciatim ab usu conjugii, geniculationibus, pervigiliis, peccatorum confessione, chameuniis, lacrymis, injuriarum condonatione, pauperum commiseratione &c. Dein Fidei symbolum edocebantur, quod memoriæ ipsis mandandum erat coram Episcopo in ultimo ante baptismum examine recitandum. (***) Id apertè docet præf. Syn. Brac. *ibid.* In quibus, ait, viginti diebus omnino catechumeni Symbolum, quod est: *Credo in Deum Patrem, Omnipotentem, specialiter doceantur.* (*) Symboli recitationem ex tempore excipiebat Orationis Dominicæ institutio, dicta Oratio fidelium, quippe quæ à solis baptizatis adhiberi poterat. Adhæc aptæ edocebantur responsiones, quibus in baptismo utendum erat, ubi ab Episcopo, vel Presbytero baptizante interrogabantur. Postremò aliquod ante baptismum diebus velati incedebant; et in aliquibus saltem Ecclesiis eorundem tum aures tangebantur, ipsis dicendo *Ephpheta*, tum oculi luto illiniebantur. Ejusmodi methodum vix indicasse satis esto; de eadem exquisitiùs in nostris *Antiquit. Christ.*

XVII. Constat igitur ritus, et cæremonias, quas hodie in baptismo conferendo observari præcipit Ecclesia, tantæ esse antiquitatis, ut eorundem institutio saltem ex parte Apostolicæ traditioni rectè deferatur. Tertull. *de Coron. Milit. cap. 3.* Basilius *de Sp. S. cap. 27.* (***) Tum et chrismate vertex baptizati inungebatur, quod singulis annis renovandum est ex præscripto Pontific. Rom. et Syn. Vallis-olet. *Cap. XVI.* (*) Qua de re piaculum omninò est, vel illas ommittere, vel non ea, quæ tantum mysterium decet, reverentia adhibere. Ubi contigerit infantem ob mortis periculum domi baptizatum supervivere, ad Ecclesiam adducendus est, ut omisi ritus celebrentur; id quod vetus Ecclesiastica traditio docet, et Synodales Constitutiones præscribunt. Syn. Diæces. Neap. an. 1669. *de Baptismo Cap. 3.* decernit: *Si forte metu mortis baptizatus celeriter infans domui fuerit, recteque deinde convalescit, ad reliquas Ecclesiæ cæremonias suscipiendas mature in Ecclesiam deferatur.* (***) Et Syn. Valent. Sess. II. Tit. II. *Cap. 4.* *Parochus... si certo colligat infantem vere baptizatum fuisse, caveat ne Baptismum iteret. Catechismum tamen, unctionem olei, et chrismatis, et alia, quæ jam baptizato convenire possunt, peragat.* (*)

ARTICULUS VIII.

DE PATRINIS.

XVIII. *De Patrinis* juvat pauca subnectere: ac primo olim *Sponsores, Fidejussores*, aut etiam *Fidei-dictatores* dicti sunt, quippe qui de fide, et sufficienti catechumenorum instructione sponderent. Uti quoque interdum *Offerentes* appellati sunt, eo quod Catechumenos ad baptismum offerrent.

XIX. Præcipua Patrinorum munia erant, baptizantium institutioni præesse,

eosdemque Episcopo baptizandos offerre, et è sacro fonte suscipere. Porrò distinctione opus erat masculos inter et feminas; scilicet ut pro illis viri, ac plerumque Diaconi; pro his verò mulieres, ac præcipuè Diaconissæ ad ejusmodi munus seligerentur. Quum enim catechumenæ nudæ in aquas immergerentur, et ex aquis suscipiendæ essent, hinc pudori muliebri, et honestati consulendum fuit: *Constit. Apost. Lib. III. cap. 16.*

XX. Antiquitùs quidem parentes naturales, ut plurimùm suos præsertim infantes filios baptismo offerebant, ac pro iisdem profitebantur, et fidem spondebant: Augustinus *Ep. 23.* At verò extraneis etiam dabatur id munus obire, præsertim ubi de orphanis, projectis, servulis, aliisque id genus baptizandis ageretur: Augustinus *ibid.* Porrò spirituali cognatione conjugia dirimente secutis temporibus inducta, Parentes vetati sunt suos è baptismo filios suscipere: *Nullus proprium filium, aut filiam de fonte baptismatis suscipiat:* Syn. Moguntina *Can. LV.* Sola necessitas parentes omni hac in re, et pœna, et culpa solvit: *Can. VII. Caus. 30. Q. I.*

XXI. Adhæc caveant Patrini, ne existiment sponsioni suæ se satisfacere, si aliquod post baptismum munus baptizato, vel baptizati parentibus offerant; sed potiùs intelligant se Christo filios spiritualiter generare, tenerique ex vi susceptionis eos in catholica fide, et probis moribus instruere, si modo parentes hoc facere neglexerint juxta Sacros Canones: I. Syn. Prov. Neap. *Cap. 14.* (***) *Cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere: ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant.* S. August. vel quisquis sit auctor *Can. CV. de Consecr. Dist. 4.* (*) Qua de re ab Patrini munere exercendo repellendi sunt excommunicati, interdicti, infames, ac notoriè flagitiosi, et qui Christianæ fidei rudimenta ignoraverint: Syn. Diæces. Neap. an. 1694. *Part. II. Cap. 2.* Neque admittendi sunt Monachi, vel cujusvis Ordinis Regulares, aut Moniales per mandatum procurationis: *ibid.* (***) *Can. CIII. de Consecrat. Dist. 4.* imò neque Clerici, Syn. Hispal. an. 1512. *Capit. XXVII.* et *Compil. Jo. Teres Lib. III. Tit. XXV. Cap. 5.* (*)

XXII. Demum plura hac in re saluberrima præcipit II. Syn. Prov. Neap. 1. *Plures patrini in Baptismo non adhibeantur, sed unus, vel una, vel ad summum unus, et una.* 2. *Sanctorum tantum nomina baptizatis imponantur.* 3. *Baptismus collatus statim a Parocho antequam baptizatus ab Ecclesia discedat, in libro consueto, quem paratum prope baptisterium retineat, adscribatur... hujusmodi baptismorum liber clave apud solum Parochum servanda custodiatur.* Postremò Parochi non omittant Patrinis monere de spirituali contracta cognatione; scilicet inter susceptores, et baptizatum ipsum, ac illius Patrem, et Matrem, nec non inter baptizantem, et baptizatum, et illius Patrem, et Matrem. Eadem præscribit S. Carolus Borromæus in suis Synodis Provinc. ac præsertim I. *Part. II. Const. 2. et IV. Part. II. Const. 2.* (***) Alios item non spernendæ utilitatis Canones præscripserunt Hispanienses Synodi. 1. *Ne adulti a Curatis baptizentur, quin prius sufficienti tempore rudimenta Fidei edocti fuerint.* Syn. Valent. Sess. II. Tit. II. *cap. 5.* 2. *Quod Rector, Vicarius, et curam animarum habens, et Regens in sua Parochia duos teneat libros, in quorum altero nomina, et cognomina baptizandorum, parentumque eorum, ac patrinorum, et patrinarum, diemque, et annum quo fuerint baptizati... scribat.* *Compilat. Jo. Teres Lib. III. Titul. XXV. cap. 3.* 3. *Ut puerperæ, quæ post conveniens tempus, domo egressæ, Ecclesiam adeunt, tum ut infantem Deo offerant, tum etiam, ut pro suscepto benefi-*

cio illi gratias agant, non ad aliam, quam ad Parochiam ipsam, in qua scilicet infans beneficium regenerationis suscepit, se conferant; idque faciant prima statim vice, qua domo egrediuntur. Ead. Syn. Valent. ibid. Cap. 6. ()*

ARTICULUS IX.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

XXIII. Quoniam Baptisma prioribus Ecclesiæ sæculis, uti modo observavimus, ut plurimum per Episcopum administrabatur; hinc ea ubique generatim viguit consuetudo, ut hominibus statim post lavaerum regenerationis Confirmationis quoque Sacramentum conferretur: Tertullian. *de Baptismo* Cap. 7. et 8. Cyrillus Hierosolym. *Catech. Mystag. Cap. III. n. 1.* Auct. Cons. *Lib. VII. cap. 43. et 44. &c.* (**) idque per Episcoporum manus: Syn. Illib. *Can. XXXVIII. et LXXVII.* et S. Pacianus *Epist. de Nomine Cathol.* ita perspicuè: *Si ergo et Lavacri, et Chrismatis potestas ad Episcopos inde descendit.* (*) Ii tantummodo casus excepti erant; scilicet ubi Episcopus abesset, vel si qui in villulis, castellis, aliisque ab Ecclesia matrice dissitis locis, aut ægritudine urgente in lectulis per Presbyteros, vel Diaconos Baptismum reciperent: Hieron. *contra Lucifer. Cap. 4.* (**) Syn. Illiberit. *præf. Can.* (*) Adhæc generalis illa praxis non modo in adultis, verum et in infantibus adcuratè observabatur: Innocentius I. *Epist. I. cap. 3.* Gregor. M. *Epist. ad Jan. Calarit. Lib. III. Epist. 9.* et in Ecclesia Græca hodieum servatur, uti colligitur ex Græcorum Rituali, et probat Jacobus Goar in *Notis ad Rituale* pag. 367.

XXIV. Verum secutis temporibus Ecclesiæ satius visum est, Confirmationem in eam ætatem differre, in qua baptizati ratione utentes majori cum fructu illam reciperent; præsertim quum infantibus cum hoste pugnandum non sit, cujus rei causa hujusmodi Sacramentum à Christo Domino institutum est. I. Synod. Provinc. Neap. *Cap. 14.* vetat, ne ulli qui nondum quinque sit natus annos, Confirmationis Sacramentum conferatur; verum aliæ Synodi septennium requirunt. (**) Quocirca Benedictus XIV. in *Constit. de Ritib. Græc.* decrevit, neque pueris ante septennium Confirmationem conferri, neque ultra duodecimum differri oportere. (*)

XXV. Tum II. Syn. Provinc. Neap. plura hac in re præscribit. 1. Caveant mulieres, ne seculi luxu, et procaci corporis cultu, ac Satanae pompis adfluentes, quibus in baptismo renuntiarunt, ad Confirmationem accedant: easque sive confirmandæ sint, sive Matrinx, repellendas esse decernit: Tit. III. *Cap. 3.* 2. Nomina confirmati, ejusque Parentum, et Patrini, aut Matrinx, et patriæ a Magistro Cæremoniarum in peculiari quodam libro digesta conscribantur: ibid. 3. Mares a solis maribus, feminae a solis feminis in Confirmatione suscipiantur, neque ulli liceat plures, quam duos eadem die in Confirmatione tenere sine Ordinarii licentia: ibid. 4. Qui non sunt natu majores confirmandis, aut nondum ipsi confirmati sunt, pro Patrini in hoc Sacramento non admittantur: ibid. 5. Studeant Parochi fideles admonere, ut ea cum pietate, et religionis ardore ad hoc Sacramentum accedant, ut dum caro inungitur, anima consecratur: ibidem. Adhæc 6. de ejusdem Sacramenti natura, vi, salutaribusque effectis fidelem populum edocere satagant, ut omnes intelligant, illud non modo non negligendum, aut nimium differendum, verum et ardenti animo expetendum: Syn. Diæces. an. 1694. *P. II. Cap. 3.* Neque demum 7. omittant fideles admonere tum

de caractere, quod per illud in anima imprimitur, tum etiam de spirituali cognitione, quæ inter confirmatum ipsiusque Parentes, atque Patrinum contrahitur. (**) Quibus omnibus meritò adjicienda est laud. Syn. Valent. *Sess. II. Tit. II. Cap. 10.* quæ post recensita præclarissima Melchiadis Epistolæ (apocrypham esse fate-mur) verba hæc subdit: *Quæ omnia considerans Synodus, Prælatos hortatur, ut sedulo advertant, ne huic Sacramento debitus in Ecclesia honor deesse videatur, et quoties Sacramentum hoc adultis conferendum erit, nonnisi ea, qua decet animi præparatione, accedentibus, et sua etiam peccata confessis conferatur.* Et *Cap. 11. quod curent Prælati, ut in Civitatibus, in quibus resident, duobus, aut tribus anni temporibus Sacramentum Confirmationis publice ministretur. . . . Confirmatorum nomina, et ipsorum susceptorum, et Confirmantis in libro uno describenda censemus, ne aut Sacramenti iterandi occasio detur, aut Matrimonia confundantur, si spiritualis cognatio, quæ ex Confirmatione contracta fuit, ignoretur.* (*)

XXVI. Manuum Impositionem, ejusque comitem orationem essentialem esse hujus Sacramenti Materiam, et Formam communis pæne est Theologorum, et Canonistarum sententia. Profecto 1. Sacræ Litteræ Manuum Impositioni, ejusque comiti Orationi virtutem Spiritus S. adscribere: *Act. Apost. VIII. et XIX. 2.* Semper, et ubique in confirmandis Neophytis adhibita est: (**) Syn. Illiber. *Can. XXVIII.* (*) 3. Non alia ratione potest evinci contra hæreticos ex sacris litteris Confirmationis veritas.

XXVII. Plerique Theologi contendunt etiam unctionem æquè ac manuum impositionem ad essentialiam pertinere hujus Sacramenti. Id quod probant 1. quòd veteres Patres utriusque gratiæ spiritualis effectum ex æquo videantur tribuere. 2. Quod Patres omnium antiquissimi Tertullianus, Cyprianus &c. utramque semper adhibitam memorent. (**) S. Basilius etiam *Lib. I. de Spiritu Sancto Cap. XXVII.* S. Pacianus *ibid.* et Prudentius in *Cathemer. Hymn. VI. ante Somn. ac in Apotheosi contra Judeos.* (*) 3. Quia utraque cum immemorabili institutione expressiùs Sacramenti Confirmationis effecta significare videatur.

XXVIII. Verum non desunt Canonistæ, et Theologi, et quidem non imi sub-selli, uti Habert, Aurelius, Sirmondus, Sambovius, L'Herminier &c. qui censent solam manuum impositionem essentialem esse hujus Sacramenti materiam.

Profecto 1. Apostoli nonnisi manuum impositione ad conferendum Neophytis Spiritum S. usi videntur. *Act. VIII. V. 17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spir. S.* *Act. XIX. V. 6. Et quum impossuisset illis manus. . . . venit Spir. S. super illos.* Tertull. *de Baptismo. 7. Dehinc manus imponitur per impositionem advocans, et invitans Spir. S. . . . tunc ille Sanctissimus Spir. super emundata, et benedicta corpora libens a Patre descendit.* Particulæ sane illæ tunc quum &c. manuum impositionem, et quidem præcisè indicant; (**) sed particulæ hæc tempus quo Apostoli Confirmationem ministrabant, non rem, neque rei gerendæ modum indicare videntur. (*)

2. Non potestatem unguendi; sed potestatem manus imponendi ab Apostolis Simon Magus emere adtentavit. Porrò homo præstigiis adsuetus, si vidisset oleum ab Apostolis adhibitum, potius illud, magicum ratus, ab ipsis emere studisset. (**) At verò Simon generalem gratiæ impertiendæ facultatem, quam per manus impositionem ut plurimum tradi videbat ab Apostolis, emere voluit, non solam conferendæ Confirmationis gratiæ potestatem. (*)

3. Sacræ Litteræ locis indicatis manuum impositionem memorant, tacent unctionem: atqui tacent, et Patres. Fac Apostoli unxerint: Patres sacras litteras ex-

plicantes unctionem supplerent, vel indè ratiocinando eduxissent: nullus omninò, vel explicando supplevit, vel ratiocinando eduxit, plures etiam apertè negarunt: uti Patres Concilii Moguntini Cap. 18. *Hoc Sacramentum, inquit, ab initio sola manuum impositione adhibitum, mox sub ipsis Apostolorum temporibus ex eorundem traditione adhibita chrismatis unctione capiti conferri.* (**). Verùm complura antiquorum Patrum, et Scriptorum testimonia, quæ de unctione loquuntur, Sacrarum Litterarum verba interpretasse videntur. Synodus Moguntina, quæ tot à Confirmationis institutione sæculis coacta est an. nimirum 1549. profectò in re facti decepta est. (*)

4. Si utraque Sacramento *essentialis* habita fuisset, profectò una ab altera indivulsa fuisset, imò unum morale constituissent. At contra post lavacrum regenerationis, et unctionem, ante verò manuum impositionem, vestium candidarum indumentum recenset Ambrosius: *Lib. II. de Sac. cap. 7.* Mellis, et lactis societatem, qua Christus suos infantat Tertull. *Lib. I. contra Marcionem.* Vestis albæ adsumtionem Cyrillus *Catech. IV. Mystag.* (**). At verò sacra Unctio non videtur *formaliter*, ut ita dicamus divulsa, sed *materialiter* duntaxat, et ministrandi ordine. (*) Tum Presbytero, imò et aliquando Diacono permissum baptismum, permissa et unctio; at manuum impositio semper vetita, nisi vel super energumenos ex Innocentio I. *Ep. ad Decentium*, et ex Conc. Carthag. IV. vel super catechumenos ex Synodis Hispaniensibus. Hinc profectò emicat Unctionem antiquitùs habitam fuisse tanquam baptismi ritum, vel potiùs mediam inter Baptismum, et Confirmationem; illius quidem perfectivam, hujus verò præambulam. (**). Sed antiquitùs sicuti omnium ferè Sacramentorum collatio Episcopis reservata erat Syn. Hispal. II. *Can. VII.* ita Episcopo jubente, uti reliqua, ita etiam Confirmationis Sacramentum Presbyteri ministrare poterant: Syn. Tolet. I. *Can. XX.* (*)

5. Postremò non idem specie chrisma latinum, et græcum. Latinum est oleum simplex cum modica balsami quantitate commixtum: græcum verò ex Auct. *Eccles. Hierarch.* Collectio est bene spirantium materiaram; et ex Euchologiis Goarii, et Humberti oleo balsamum, et tres, ac triginta aromatum suaveolentium species admiscuntur librarum pondere fere nonaginta; quæ non modico vino commixta, et igne diu concocta unguentum componunt ab oleo specie diversum; et quidem 1. entitate, 2. virtute, 3. effectu. *Entitate:* olea enim, præsertim aromatum igne concreta, non sensibilibus modo, verum et insensibilibus invicem partibus resoluta formam priorem immutant, ac novam compositi totius adsumunt: et quidem eo tenaciùs, quo ramosæ partes invicem intextæ firmiùs adhærescunt, ac difficiliùs in pristina resolvuntur; adeo in tertiam quandam, quæ chemicis, et physicis Balsamum propriè dicitur, entitatem coalescunt. *Virtute:* potentissima enim læc sunt, et caustica præ oleo simplici, quod blandissimum est, ac vitæ delicium. Demùm *effectu:* illa enim incedunt, exurunt, penetrant, adstringunt; oleum contra molliendis, relaxandis, fovendis partibus adcommodatum. Jam verò si hæc in aqua mutatio fieret, nullus aquam hanc artefactam, specie diversam à simplici, adfirmare detrectaret baptismo prorsus ineptam. Quum igitur essentielles Sacramentorum materiæ immutabiles sint, et eadem in Ecclesia fuerint, ac nunc sunt, uti eruditè demonstrat Morinus *de Administr. Sacrament. Pœnit. VIII.* 18. et sanioris doctrinæ Theologi docent; quisnam, quæso, unctionem apud Latinos, et apud Græcos specie diversam essentialem Confirmationis materiam jure adfirmare quiverit? (**). Verùm non videtur specie diversum chrismationis elementum apud Græcos, et apud Latinos; hoc enim neque est oleum, neque balsamum; sed oleosa res, et ad unguendum idonea, hæc ita sumpta materia, eadem est in utraque Ecclesia. (*)

Sunt et alia argumenta, quæ ab Sirmondo, Sambvio, aliisque hujus sententiæ patronis producuntur; præcipua indicasse satis esto ad dignoscendum quam gravi culpæ se reddat obnoxium, qui manuum impositionem recipere negligeret: Sacramentum enim periculo nullitatis exponeret. Verùm ubi ex ignorantia ommissa sit, Sacramentum iterandum non est, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat omissum: *Cap. 1. de Sac. non iterandis.* Porro de hoc capite fusiori calamo agemus in nostris *Antiquitatibus Christianis.*

XXIX. Illud hic adnotare lubet: scilicet antiquissimam esse Ecclesiæ praxim, ut Chrisma nonnisi ab Episcopo conficiatur, à quo diocesani Archipresbyteri, vel Parochi illud singulis annis accipiant: Concil. Carthag. IV. *Can. XXXVI.* Quæ de re Syn. Tolet. I. an. 400. *Can. XX.* decernit: *Quamvis pœne ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat: tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma facere, et per Diocesim destinare.* (**). Idem tradit Syn. Bracar. I. Cap. XIX. alias *Can. XXXVI.* *Item placuit, ut si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere... a suo officio deponatur, nam et antiqui hoc Canones veterunt.* (*) Porro praxis chrisma conficiendi in Cœna Domini nonnisi sæculo VI. inducta videtur: ipsius enim prima occurrit mentio in Sacramentario S. Gregorii, quod per illud temporis conscriptum est.

CAPUT QUARTUM.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

I. Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi à S. Paulo, et ab antiquis Patribus aliquando dictum *Cœna Domini, Communio, Eulogia, Viaticum &c.* ut plurimùm *Eucharistia* appellari consuevit, quod in ejus usu Deo gratiæ agantur: Justinus *Ap. 2.* id quod et ipse Christus præstitit in ejus institutione. Nonnisi à Sacerdotibus, dum Missæ sacrificium peragunt, consecranda est: atque adeo ipsamet non Sacramenti modo rationem habet, verùm et divinum novæ legis Sacrificium constituit, cujus ministri soli Presbyteri à Christo Domino instituti sunt. Diaconi tantummodo ex Episcopi, vel Presbyteri delegatione illam administrandi potestatem habent: quo munere antiquitùs quam sæpissimè fungebantur. Eucharistiam enim ab Episcopo acceptam ad absentes Diaconi deferebant: Justinus *M. ibid.* Tum etiam in quibusdam Ecclesiis illam in Missa solemnè fidei populo distribuebant. Verùm præcipuè Diaconis Dominici Sanguinis dispensatio concedita erat; (**). uti à Sixto P. commendatam fuisse sancto Levitæ, invictissimoque Christi Martyri Laurentio, legimus apud Ambrosium *Lib. I. Offic. cap. 14.* (*) Excipere Presbyteros, qui illam *immediate* ab Episcopo, vel Presbytero loco Episcopi celebrante accipiebant: Syn. Nicæn. *Can. XIV.* Verùm ex quo desiit communio laicorum sub specie vini Diaconi ea prærogativa privati sunt; id quod sæculo XII. vergente, et XIII. ineunte contigisse videtur. (**). Adhuc tamen seculis temporibus nonnihil amissæ prærogativæ vestigiis retinuisse visi sunt Diaconi, quippe qui absente Sacerdote, Eucharistiam infirmis ministrare potuerunt, ex concessione Andreæ Albalati in Constit. Synod. Valent. an. 1255. *Const. de Corpore J. Christi.* (*)

II. Jure novo solis Parochis Eucharistiæ administratio reservata est: hinc in Clement. I. *de Privilegiis Religiosi* sub pœna excommunicationis ipso facto incur-